



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 58. Cardinalis Rothomagensis Æneæ Sylvii electioni obluctatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. enim nullus plusquam tria numerabat.
A.C. 1458. Guilielmum vero Cardinalem Rothomagensem ne unico quidem suffragio dignati sunt, sive quod parum acceptus aliis, sive regendæ Ecclesiæ impar iudicatus esset.

§. LVIII.

Cardinalis Rothomagensis Æneæ Sylvii electioni oblectatus.

Quamvis Cardinales absolutis scrutiniis mutuo conferre soleant, experturi, an non forte eorum quisquam mutato consilio alteri accedere velit, quam viam *accessus* appellant, nihilominus hac die ejusmodi medio haud usi sunt, quæ res non modice offendit illos, qui electionem potissimum suis suffragiis deberi censebant. Ceterum soluto prandio rursus conveniunt omnes, atque auctoritate præcipui pro suis amicis qua precibus, qua promissis, quin etiam minis aliorum suffragia sollicitant. Verbo, Cardinales tanto æstu rem agebant, ut nullum tranquillitati locum reliquisse viderentur. (*) Præ reliquis Cardinalis Rothoma-

(*) *Platinam & Gobelinum Personam in Commentariis Pii II. hanc in rem allegatos lego, quæ autem Continuator hic refert, nullibi reperio*

thomagensis Senensem timebat, unde cu- Sæcul. XV.
juslibet auribus sigillatim hæc suggesse- A.C.1458.
rat: *Quid vobis Æneas Piccolominius,*
quem Pontificem designatis? Pauperem, &
infirmum (podagra namque laborabat)
præficietis Ecclesiæ, ut in Germaniam se-
dem transferat, unde mercenarius alimenta
quæsiuit? Poetam dicetis Pontificem, qui
Gentilium more regat Ecclesiam? Quid di-
cam de Philippo Cardinali Bononiensi, ho-
mo ille cervicosus, cui non solum deest
consilium, sed consilarii, quos audire re-
cusat.

Fave-

reperio. *Platina de hac Æneæ Sylvii electione*
hæc habet: Ad hunc consensu omnium Ponti-
ficatus deferebatur. Ingressus itaque concla-
ve Patrum omnium suffragiis Pontifex maxi-
mus creatur. In commentariis Pii II. narra-
tur: Cardinalibus viam, quam vocant per ac-
cessum, experiri placuit. - - - Sedebant o-
mnes suis in locis taciti, & tanquam a Spiritu
Sancto rapti, Cardinales universi nihil morati
ad pedes Æneæ sese projecerunt, & eum
Pontificem salutarunt. Ast Æneæ Sylvii ele-
ctionem velut tumultuariam depingere, Conti-
nuatori e re sua fuerat; cum enim ille Pontifex
fælius Basileensis Synodi decreta contra supremam
Papæ auctoritatem edita revocasset, eaque irrita
declarasset, saltem ejus electionem ad Pontifi-
catum carpere voluit, cum illius vitam mores-
que sugillare non potuerit.

Sæcul. XV.
A. C. 1458.

Favebat Rothomagensi Cardinalis Avenionensis, Vir ad quæque audenda proclivis, sui que commodi studiosus. (*) Hunc, ut Rothomagensis partes tam strenue tueretur, impulit partim ejusdem cum eo Nationis studium, partim ambitio obtinendi Rothomagensem Ecclesiam, Romanamque Vice-Cancellariam, quam hac electione vacantem se aucupaturum sperabat unacum Palatio, quod Romæ possidebat Rothomagensis; hic quoque ad suas partes pertraxit Genuensem, (**) & alterum Cardinalem titulo S. Sixti, quorum uterque natione Græcus erat. Ex reliquis Prosper Columna, Papiensis, Bononiensis, Ursinus, & Cardinalis de S. Anastasia mentem suam necdum aperuerant. Undecim ergo pro Rothomagensi numerabantur suffragia, & facile alius, qui duodecimum numerum explet, accessurus sperabatur.

§. LIX.

(*) *Ex his luculenter apparet, quanti meritum fuerint illi, qui sese electioni Æneæ Sylvii opponerant.*

(**) *Legendum putamus, Ruthenum; hæ duo enim erant Isidorus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus Ruthenorum Cardinalis Sabinus, alter vero Beſſarion Cardinalis Tuſculanus.*